

P. VERGILI MARONIS

mittatur Pallas, quem non uirtutis egentem  
abstulit atra dies et funere mersit acerbo.'

Sic ait inlacrimans, recipitque ad limina gressum  
corpus ubi exanimi positum Pallantis Acoetes      30  
seruabat senior, qui Parrhasio Euandro  
armiger ante fuit, sed non felicibus aequa  
tum comes auspiciis caro datus ibat alumno.  
circum omnis famulumque manus Troianaque turba  
et maestum Iliades crinem de more solutae.      35  
ut uero Aeneas foribus sese intulit altis  
ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt  
pectoribus, maestoque immugit regia luctu.  
ipse caput niuei fultum Pallantis et ora  
ut uidit leuique patens in pectore uulnus      40  
cupidis Ausoniae, lacrimis ita fatur obortis:  
'tene,' inquit 'miserande puer, cum laeta ueniret,  
inuidit Fortuna mihi, ne regna uideres  
nostra neque ad sedes uictor ueherere paternas?  
non haec Euandro de te promissa parenti      45  
discedens dederam, cum me complexus euntem  
mitteret in magnum imperium metuensque moneret  
acris esse uiros, cum dura proelia gente.  
et nunc ille quidem spe multum captus inani  
fors et uota facit cumulatque altaria donis,      50  
nos iuuenem exanimum et nil iam caelestibus ullis  
debentem uano maesti comitamus honore.  
infelix, nati funus crudele uidebis!  
hi nostri reditus exspectatique triumphi?  
haec mea magna fides? at non, Euandre, pudendis      55  
uulneribus pulsum aspicies, nec sospite dirum  
optabis nato funus pater. ei mihi quantum  
praesidium, Ausonia, et quantum tu perdis, Iule!

Haec ubi defleuit, tolli miserabile corpus